


FELICITER!
COLLEGIATUM LIPSIENSEM
à
COLLEGIO ROSTOCHIENSI
blandius nunc receptum,
in
NUPTIIS
SELIGMAN-
NO-SULTMAN-
NIANIS,

d. 9. April. M DC LXXXIII.
E REMOTA LUSATIA
miratur & gratulatur

CHRISTIANUS WEISE,
GYMN. ZITT. RECT.



ZITTAVIÆ,
TYPIS MICHAELIS HARTMANNI.



Sic definet esse Collegiatus,
qui nunc incipiet esse Sponsus & Maritus.
Ita Sponsam non habebit Lipsiam,
quem Roseta vocant in thalami Collegium.

Agnosco Eruditorum fata,
quos quælibet terra facere solet beatos.

Dummodo vigeat sedula dexteritas,
Jam prospectum est de Collegiaturâ.

Fallor? an ideo deseritur Collegium Philurinum,
ut deliciari liceat in novo Collegio?

& quia Lipsienses Lutato claudunt Collegium Vir-

ginis,
ea conditio quæri debuit apud Rostochienses?

Laudo consilium,
in Cœlo probatum, nec inter homines poeniten-

dum.
Quin gratulor de Collegio,
quod perpetuum hunc agnoscet Præpositum,
quod Collegarum diversa non feret suffragia,
quod redituum non patietur socios.

Eqvidem Ducalis h. e. Majoris Collegii titulo notus,
a minori nunc vocabitur Collegio:

nam e duabus Personis magnam constitui Societatem,
ipse abnuet Aristoteles.

Erit tamen Collegium BEATORUM,
& quando Beatitudo futura est magna,
Collegium magnæ Felicitatis.

Neq; consistet intra hunc numerum Confessus:
Si quiden SULTMANNIA rite fiet SELIGMANNIA.

Ea sæpius foecunda,
Sæpius in recipiendis Assessoribus benigna,
Magnum aliquando faciet Collegium,
citra Præpositi invidiam,
citra SELIGMANNI jacturam.

Cæ.

Cæterum audio, Portiones Lipsiensium vocari Cor-
pora ;

quorum vicem nunc præstabit unum Corpus,
multis tamen deliciis commendatum,
donec multis etiam Corporibus sese commendet,

Nec adeo placet,
quod Collegiatis suæ displicent habitationes,
locandæ Studiosis & extraneis :

ast in hoc Collegio placebit mansio,
ac ubi solus Curator omnia occupaverit,
nihil relinquetur aliis,
nisi, quod amicorum & vicinorum est,
applausus, votum, congratulatio.

Neq; moris nunc est

ut novis laboribus redimantur Collegiorum stipendia:
quippe cedunt in solatium ordinariæ sedulitatis,
quam Academia Professoribus injunxit.

Quid hic SELIGMANNUS?

amplectitur industriæ hætenus impensæ remu-
nerationem,

justumq; profitentis & concionantis salarium:
simul tamen horas destinabit extraordinarias,
quas ipse consumat,

non ut Professor, non ut Concionator,
sed ut Felicis Collegii Collegiatus.

Lipsiensium Collegia, si rectè memini,
Confirmavit Pontifex, sive Felix sive Eugenius.

Hunc Congressum non legitimat Vicarius,
sed, qui Vicarium ignorat DEUS.

Unde certitudo Felicitatis,
Fiducia Evgeneias,

Uno verbo, plena salutis confirmatio.

Omen quoq; subnascitur ;

quippe Nuptiarum meditatus est lubentias,

Ubi Lipsiensium Collegio illuxit Ambrosius.

Nam in novo hoc Collegio

Nectari jungetur Ambrosia,

nec deerunt, qui sub faustum Amoris initium

Pocula sincerè libent Beatis.

Qva-

Quamobrem, quod Deus fortunatum esse jubeat,
ingrediatur suum Collegium,
qui cum desiderio Amicorum alibi est egressus,
ac ita sedem inveniat constantiorem,
ut feri demum Posterius exeuntem comitentur.

Habeat Optimus PARENS Filium,
quo remotiorem, eo beatiorem,
& quando praesens amplectitur incrementa CA-
SPARIS CHRISTIANI,
simili prosperitatis imagine absentem sibi formet
GOTTLOBUM FRIDERICUM.

Ipse vero, DIVINÆ LAUDIS, PACIS, ET BEATITUDINIS
omen,

tam diu consecret Patriæ inter Rosas nitenti,
donec Rosæ generent Uvas,
h. e. donec novis præmiis exornetur hic Splendor,
mihiq; nova in jungatur gratulatio.

Nimirum ista mihi relicta est liberalitas,

Ut qui merendo non possum,
Pignus amicitiae statuum loquendo.

Sed abibit Sermo in meritum,

Si loquentis Pietatem divina gratia confirmet.

Hanc apprecor Lipsiensibus,

Ut post Seligmanni discessum habeant tamen beatos:

Hanc experiantur Rostochienses,

Ut hujus Viri possessione diu sint beati:

Hanc retineant Zittavienses,

ne Posteritas obliviscatur Seligmannorum.

Seligmannianum autem Collegium,
obsignet hic titulus.

S. V.

ET ÆDES MIRARE
UBI HOMINES

SEMPER VIVUNT BONO PUBLICO,
NASCENTUR BONO PUBLICO,
TARDE MORIENTUR BONO PUBLICO.

T. A. E. I.

